Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Altes Testament, 2. Teil - Cod. Aug. perg. 89

[S.l.], Datierung unklar

Buchschmuck

urn:nbn:de:bsz:31-67620

Visual Library

Incipit prologus Ieronimi in proverbia SALOMONIS

Cromatio et eliodoro
episcopis Ieronimus. Iungat epistula
quos iungit sacerdotium. Im-
mo carta non dividat quos Christi nectit amor.
Commentarios in osee, amos, zachariam,
malachiam, quos poscitis, scripsissem, si licuis-
set pre valitudine. Mittitis solatia sumptuum,
notarios nostros et librarios sustentatis,
ut vobis potissimum nostrum desudet ingeni-
um. Et ecce ex latere frequens turba di-
versa poscentium. Quasi aut equum
sit me vobis esurientibus aliis laborare,
aut in ratione dati et accepti cuiquam preter
vos obnoxius sim. Itaque longa egrota-
tione fractus, ne penitus hoc anno
reticerem et apud vos mutus essem, tri-
duo hoc opus vestro nomini consecra-
vi, interpretationem videlicet trium
salomonis voluminum: masloth, quas
hebrei parabolas, vulgata editio pro-
verbia vocat; coeleth, quem grece ecclesia-
sten latine contionatorem possumus
dicere; sirasirim, quod in nostra lingua
vertitur canticum canticorum. Fertur et
panaretos ihesu filii sirach liber, et
alius pseudographus, qui sapientia salomo-
nis inscribitur. Quorum priorem hebrai-
cum repperi, non ecclesiasticum ut apud la-
tinos, sed parabolas prenotatum. Cui iunc-
ti erant ecclesiastes et canticum canticorum,
ut similitudine salomonis non solum
librorum numero, sed etiam materiarum gene-
re coequaret. Secundus apud hebreos nusquam
est, quia et ipse stilus grecam eloquentiam
redolet. Et nonnulli scriptorum veterum
hunc esse iudei philonis affirmant.
Sicut ergo iudith et tobi et machabeorum
libros legit quidem eos ecclesia, sed inter
canonicas scripturas non recipit, sic et hec
duo volumina legat ad edificationem
plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum
dogmatum confirmandam. Si cui sane septua-
ginta interpretum magis editio placet,
habet eam a nobis olim emendatam. Neque
enim sic nova cudimus, ut vetera destrua-
mus. Et tamen cum diligentissime legerit,
sciat magis nostra intelligi, que non in ter-
tium vas transfusa coacuerint, sed statim
de prelo purissime commendata teste suum
saporem servaverint. Explicit prefatio
sancti heronimi presbiteri. Incipit liber proverbiorum quem hebrei masloth appellant.

Parabole salomonis fi-
lii david regis israel, ad scien-
dam sapientiam et discipli-
nam, ad intelligenda ver-
ba prudentie, et susci-
pienda eruditionem doctrine, iustitiam
et iudicium et equitatem, ut detur parvu-
lis astutia, adolescenti scientia et in-
tellectus. Audiens sapiens sapientior
erit, et intelligens gubernacula posside-
bit. Animadvertet parabolam et interpre-
tationem, verba sapientium et enigmata eo-
rum. Timor domini principium scientie. Sapientiam
atque doctrinam stulti despiciunt. Au-
di fili mi disciplinam patris tui, et ne di-
mittas legem matris tue, ut addatur gratia ca-
piti tuo, et torques collo tuo. Fili mi,
si te lactaverint peccatores, ne acqui-
escas eis. Si dixerint: Veni nobiscum,
insidiemur sanguini, abscondamus ten-
diculas contra insontem frustra, deglutiamus
eum sicut infernus viventem, et integrum
quasi descendentem in lacum. Omnem preciosam
substantiam reperiemus, implebimus do-

Ad honorem DEI et in Commemorationem S. Marci Evangelistae Augiae Maioris [?] librum hunc liberalissime donavit M. Joan Albertus Parochus Francofoldensis [?] Ao 1524 19 Martij.

G. H. HOFBIBLIOTHEK KARLSRUHE

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg